



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

56. Tertia Epistola ejusdem D. Cerle ad S. D. N. Innocentium PP.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

Sanctitatis, pacem Evangelifantis, Evangelifantis bona, speciosos pedes deosculor, iisque in spiritu affixus peto, precorque, primò quidem mihi peccatorum omnium miserimo, deinde Collegis meis, atque in Deo parentibus, Reverendo Patri d' Aubarede, Reverendo Patri Rechvinctis in Domino, postremò cateris Canonicis Regularibus, aliisque omnibus, carceres, exilia, vel qualescumque ærumnas pro causa Dei subeuntibus, Apostolicam Benedictionem, quæ à dextera, bonis tot operibus secundâ, non potest non admodum copiosa in capita nostra defluere.

Datum die 15. mensis Martij 1681.

Sanctitatis Vestræ

*Humillimus & obsequentissimus in Christo
Servus & Filius*

Joannes Cerle, Presbyter ac Præcentor
Ecclesiæ Cathedralis Apamiensis, nec non
Vicarius Generalis & Officialis.

Documentum LVI.

Alia Epistola R. P. Cerle ad Sanctissimum Pontificem INNOCENTIUM PP. XI.

Sanctissimo Domino nostro INNOCENTIO PP. XI.

SANCTISSIME PATER,

Post humillima Pedum Oscula.

Securior jam audaciórque, ad Vos, Sedémque Apostolicam, iterum, iterumque venio; nihil de mea tenuitate anxius, nec ita de Vestra Majestate sollicitus. Videor enim

E e e 3

enim

enim mihi non indignus omnino, Domini Jesu Vicarium adire, & alloqui, qui dignus habitus sum pro nomine Jesu contumeliam pati. Olim humi repens, vermi, quàm homini similior, nunc cœpi surgere, jamque cœlum, Sanctamque Sedem, quæ tota Cœlestis est, propius intueor; nimirum factus de Cruce celsior, de furca & patibulo sublimior. Sum certè, nec diffiteor, hominum vilissimus, & omnium pedibus conculcandus: tamen videtur non contemnendus, quem confessionis umbra nobilitat, & imago Martyrij. Insuper factus sum, Pater Sanctissime, mente excedo, sed sobrium esse non licet subtanto gloriæ pondere, in tanta gaudij superabundantia

Porrò gloriam illam, illudque gaudium, debeo Tholosano Senatui, qui sive sponte suâ, seu potius Reverendissimi Archiepiscopi Tholosani impulsu, aulicisque mandatis, capitis Sententiam, quam pridem meditabatur, tandem aliquando in me dixit. Damnatus sum peccatorum primus miserrimusque, ut olim celeberrimi quique fidei Confessores, Christi que Athletæ, qui omnes tanquam publicæ quietis perturbatores, patriæ proditores, principum ac potestatum obtretratores (confictis videlicet Sathanâ authore criminibus) feliciter perierunt.

Ita perire nondum mihi tribuit Deus, Pater Sanctissime, qui dum alieni insurgentes adversum me è synagoga potentium, quærent animam meam, in nomine suo saluum me fecit, susceptorque fuit animæ meæ. Verùm spe suâ frustrata crudelitas, cum nostro satari cruore non potuisset, summo nos dedecore, contumeliâque afficere tentavit. Circumducta est à carnifice, in curru, vehendis ad supplicium reis destinato, effigies nostra per frequentiores Tholosæ vicos, & compita, ferali pompâ, insolentique

que ritu; mox in celebri foro præcellæ trabi suspensa; magnum afflictæ Religionis ludibrium! ingens ferocientis impietatis trophæum! Ita Pater Sanctissime, mundo & hominibus, utinam & Angelis, spectaculum facti sumus.

Visebatur in illa tabella, vir Religiosus, veste candidâ unâ cum superpelliceo indutus, qui canonicorum Regularium habitus est. Stabat retrò pictus Carnifex, truci vultu, bipennem vibrans, ac genuflexi cervicibus imminens. Ad hujusmodi lætum adversarijs, mihi profectò non lugendum spectaculum, fremere omnes boni, & indignari cœperunt. Quid? aiebant, Sacræ & Religiosæ vesti tam procaciter illuditur? Cæteri Rei demptis vestibus interficiuntur, ut dum scelus plectitur, dignitati parcatur. Verè Religionis ludibrium totum illud est, non hominis supplicium. Felix qui sic probro afficitur! ita olim Martyres in Stola candida, & amictu nitidiori, ad necem tanquam ad nuptias procedebant. Fuit quoque, P. S. qui argutè simul & sapienter diceret; quidquid in ea tabula penicillus expresserat, videri sibi earum rerum, quæ intra Gallias è tempestate gerebantur, emblemata. Sub illo superpelliceo candidoque amictu, Ecclesiam Gallicanam latere, miseram prorsus & ærumnosam, cui Schisma Regalistarum, stricto gladio, caput amputare pararet; dum eam à summo Pontifice capite suo, valido quidem, sed casso conatu delere niteretur. Hæ sunt, Pater Sanctissime, proborum omnium querelæ; sic sentiunt, sic loquuntur, quicumque apud nos plus Deum timent, quàm hoc sæculum diligunt.

Nemo bonus est, qui sine indignatione audiat, impios quorundam perditorum hominum, paucorum certè, de instituendo in Ecclesia Gallicana Patriarcha susurros: quasi verò, qui juxta antiquos Canones, ne quidem Metro-

politianum, sine proprij gradus periculo possunt constituere, possint sibi præficere Patriarcham? aut minùs subditus futurus esset Patriarcha iste summo Pontifici, quàm ij, à quibus accepturus foret potestatem? nisi forè (quod de Gallicanis Præsulibus sentire nefas est) aliud caput Ecclesiæ adjungentes, monstrum effingere meditentur. Nemo sapiens, qui non intelligat, quo consilio petita sit à rege Nostro Christianissimo congregandorum comitiarum facultas, præsertim per Reverendissimum Archiepiscopum Senonensem, Tholosani fratrem, ac Parisiensi per omnia obsequentem; nemo verus Ecclesiæ filius, qui non doleat, Regis Regum sponsam Ecclesiam, nefarijs laicorum judicium artibus in ordinem redigi.

Sanctitatem Vestram minimè latere puto, quid contra postremas ad nostram exiguitatem Apostolicas litteras, Senatus Parisiensis statuerit, quantumque earum occasione Procurator Generalis garrierit. Inter innumeros, quibus tota ejus scætet oratio, schisma invehentes errores, hic imprimis est, non posse Regni Magistratuum decreta (quantumvis Sacris Canonibus, & Apostolicis statutis adversantia) ab ulla potestate Sacra inhiberi, aut infringi: non à Concilio œcumenico, non à Petro, ullòq; Petri successore, quæ vox profectò Rapsacis cujusdam, potiùs esse videtur, quàm hominis, Deum Israel, ejusque Christum confitentis. Audent quotidie judices laici, Synodicis decretis, Pontificisque Rescriptis auctoritatem omnem, demere? Non poterit Christi Vicarius, totaque cum Ipso Ecclesia, unius Parlamenti judicij sese opponere, quamquam illa Canonicam disciplinam omnem, jura omnia, Sacram forsitan & ipsam fidem subverterent? Hoc habet in supremis illis Curijs mater Ecclesia præsidium! sic illis (quod quidem

Item nuperi Aulicorum Episcoporum Coetus acta tanto-
pere jactant) tanquam firmissimis fulcris aeternum Christi
folium innicitur.

Novissimorum sanè temporum iniquitas est, Pater
Sanctissime; ut quicumque bellum Ecclesiae inforunt, be-
nevolentiam simulent, amicitiam praesferant. Olim
hostes Ecclesiae, hostes dicebantur; divexabant, non de-
cipiebant; suo satis proditi nomine. Nunc duplex Reli-
gioni labor incumbit: nam priusquam se ad hostes suos de-
bellandos accingat, debet illos detegere; quod quidem
hodie difficillimum est; cum alii Reformatores dicantur,
alii vocentur tutores defensorisque; alij aliis nominibus
nuncupentur. Nondum extincto Calvinistarum bello,
novum à Parliamentis exoritur. Illi Ecclesiam refor-
mando dilacerant, isti defendendo amplectendoque
praefocant.

Gloriabatur olim Lutherus, Lutherisque principes af-
fecta, se novos Prophetas, novosque Apostolos à Deo ex-
tra ordinem missos, qui non solum collapsam Ecclesiam
erigerent, verum etiam extinctam penitus in lucem revo-
carent. Nescio, an de novo quodam, & extra ordinem
Apostolatu, supremæ nostræ Curiae glorientur: illud scio,
putare homines istos, sui muneris esse, antiquos Canones
tueri, priscam disciplinam vindicare, labenti Ecclesiae hu-
meros supponere. Nimirum, dormit in cymba Christus,
otiat Spiritus Sanctus, Sponsa Christi consenuit, annif-
que fatiscens, se ipsam non potest regere. Potuit quidem
alias, dum juventute vigeret, dum floreret annis, Canones
condere, leges ferre, sibi ipsi cavere: nunc Rectore Pada-
gogoque indiget, nunc est tutoribus & actoribus commit-
tenda. Quidquid egerit anus decrepita, anus delira, suo-

Eff. rum.

rum Curatorum, Parlamentorum injussu, irritum decernitur, nullumque planè censetur. O scelera! O verba impia! O hostium, quàm filiorum digniora consilia!

Hæc tanta, tamque acerba Ecclesiæ mala, Pater Sanctissime, malorum nostrorum sensum adimunt, ac oblivionem inducunt: de histamen malis nostris, Vestræ Beatitudinis auribus pergam paucula quædam ingerere. Cùm fuisset, eâ quâ diximus, ignominia in Civitate Tholosana affecti, eadem postmodum Apamiis, & in cæteris Diocesibus oppidis, iniusti sumus; tum contumelia filij, gloriam Patris in memoriam revocavit. Observabatur omnium animis, Patris pariter & Episcopi nostri optimarum virtutum exemplar, merita quoque & beneficia, quibus tot annis gentem nostram cumulaverat. Hanc ergo, aiebant, reddunt vicem, ei, qui toties nos suâ paupertate ditavit, jejunijs aluit, periculis securos effecit, optimis exemplis ad piè christianèque vivendum, provocavit; qui corpus suum exhibens hostiam, sanctam, Deo placentem, toties in tempore iracundiæ factus est reconciliatio? Pro tot, tantisque viri Dei erga nos meritis, disperditis cæteris ejus filijs omnibus, eum qui unus superesse videbatur, suspendio necare non perhorrescunt. Fuit tum afflictissimæ hujus Ecclesiæ perquam lugubris facies, Rachele plorante filios suos, & nolente consolari, quia non sunt.

Quis fuerit, Pater Sanctissime, mansuetiorum omnium sensus, animusque, ex ipso Apamiensi Carnifice conijci potest. Ille qui toties oculos suos humano cruore pavebat, cui ars, imò ludus erat, homines torquere, urere, membratim concidere, & omni suppliciorum genere necare, vehementi horrore percussus est: vixque potuit, conceptam animo feritatem auctore Deo dedoctus, ore pallenti, labentibus

labentibus genibus, tremulâque manu, effigiem nostram cruci appendere: cùmque id sibi iterum iterumque præstandum intellexisset, cum Coniuge, rebusque suis, nocte fugam cepisset. Miseras terras! Infelixque solum! cui tanta feritas est, ut tædio, horrorique sit vel ipsis Carnificibus. Abiisse hominem cùm comperissent, Prætor Civitatis, Præfectusque Provinciæ, mittunt illicò, qui sedulo fugitivum quærant, inventumque vi revocent. Comprehensus ad sexagesimum circiter miliarium, negat se in eam Civitatem rediturum, in qua patibulum Innocentiæ paratur, Religioni securis imminet: se miserum atque calamitosum, tamen esse Catholicum; nec posse Calvinistarum more adversus Ecclesiam bellum gerere, eosque necare, quos illa salvos velit, summâque benignitate prosequeretur; vereri se Dominum Episcopum Apamiensem, signis & virtutibus coruscantem, & suorum haud dubiè non oblitum.

Videtur mihi tortor ille, boni latronis constantiam emulari, qui de cruce pendens, ausus est confiteri Christum, à Scribis & Phariseis accusatum, damnatum à Magistratibus, à Regibus illusum, ab Apostolis ita, vel negatum, vel traditum, vel desertum, ut unus tantummodò inventus sit, qui staret juxta crucem ejus, ne unquam de magno numero improbitas gloriaretur, aut erubescendum sibi putaret de paucitate pietas; sic nimirum, divinâ disponente providentiâ, ut innocentia, non solum testimonium, sed etiam præsidium ab eis præstaretur, à quibus minùs videretur expectandum. Cujus præclarum, & à causa nostra non alienum legitur in Annalibus Ecclesiasticis exemplum.

Edinero referente, contendebat Sanctissimus Præsul Anselmus.

Fff 2

Anselmus.

Anselmus, cum Henrico Anglorum Rege circa Investituram, & Regaliam. Mittit uterque legatos Romam, ad summum Pontificem Paschalem, & suum utriusque hac in re, nemine refragante, judicem: nondum enim aliud suaserat adulatio Christianis Regibus. Causam Anselmi, id est, Ecclesiae, defendendam suscipiunt duo viri Religiosi; causam Regis, id est saeculi, tres Episcopi. Horum unus, qui praerat Ecclesiae Norwicensi, nomine Herbertus, exigit ab Episcopo, ne quid imposterum contra Anselmum, ejusque Ecclesiae dignitatem, aut libertatem, cogitaret, aut faceret.

Non mea parvitas est, Pater Sanctissime, Reverendissimos Episcopos, Dominos ac Patres meos officij admodum sui. Optarem tamen vehementer, ut ista legissent, quos nuper in aedes suas, Illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis, coire jussit. Maluissent profecto, Sanctitati Vestrae, pro ipsarum Ecclesiarum dignitate, tantis laboribus, tantaque gloria decertanti, gratias agere, quam de Apostolicis litteris, pari in Sanctam Sedem contemptu, ac in aulam adulatione conqueri. Utilius sibi fore putassent, Regem nostrum Christianissimum, ac nunquam satis nobis suspiciendum, precibus, & lacrymis pro extinguenda Regalia, reddendaque Apamiensi Ecclesiae tranquillitate adire, quam cum miseris quibusdam leguleis, de Sacrosancti Concilij Lugdunensis auctoritate, summo cum ordinis sui dedecore, dubitare. Satius existimassent, Praesulis Nostri, viri (ut Sanctitas Vestra loquitur) verè Apostolici ac decoris domus Dei zelatores, aemulatoresque fieri, quam ijs, qui nos, ejus filios, ad internecionem usque persequuntur, socios se, amicosque adungere. E re sua potius duxissent, Procuratoris Generalis Parisiensis, adversus Sanctam

Quam Sedem adlatrantis, audaciam furorémque, Ecclesia-
 sticis censuris comprimere, quam eum, tanquam egre-
 gium athletam, invictumque Ecclesie Gallicanae liberta-
 tum vindicem, summis laudibus evehere. Sanctius denique
 commodiusque putassent Archiepiscopum Tholosanum,
 Regalistas, Regalistarumque fautores omnes, excom-
 municationis vinculis innodatos, & Ecclesiam audire no-
 lentes, tanquam Ethnicos & Publicanos habere, & interim
 eos ad faciendos dignos paenitentiae fructus hortari, quam
 eorum patrociniū suscipere, & circa Apostolicarum lit-
 terarum formulas, cavillando, pereuntium cubitis pulvil-
 los consuere, & malis suis indormientibus cervicalia pa-
 rare. Sed benedictus sit Deus, qui ut olim in condenda, ita
 nunc in servanda Ecclesia, non multos potentes, non mul-
 tos nobiles, sed ignobilia mundi, & contempribilia elegit,
 & ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret: nunc pisca-
 tores, aliquando latrones, postremo carnifices, nominis
 sui testes habuit. Mirabilis prorsus in sanctis, & sanctus in
 omnibus operibus suis.

Inter eos vincetos in Domino, qui pro justitia persecu-
 tionem patiuntur, unus ex nostris est, gradu tantummodo
 Novitius, sed probitate, cunctisque Religiosi hominis di-
 gnis virtutibus, antiquioribus conferendus. In ejus caput
 Senatus Tholosanus diligentissime quaestionem habet. Ac-
 cusatur, Apostolicas litteras, nostraque edicta Tholosam at-
 tulisse, novo prorsus & inaudito crimine; propterea cum
 sicarijs ac parricidis in carcerem missus est. Quo in loco,
 Pater Sanctissime, venerabilis Episcopi nostri dignum se
 praebuit discipulum, filiumque non degenerem. Nihil
 illo simplicius, mitius, humilium, ac rursus nihil fortius,
 animosius; agnus simul, leoque videtur. Interroganti Lai-

Handwritten notes on the book's spine, including the word "dedicata" and Roman numerals "III" and "5".

cojudici, negat Sacerdotem respondere fas esse: minanti ferrum & ignem, hoc unum refert, quod facis fac citius. Interim semper vigilat, semper orat, semper jejunit: sic pugil Evangelicus, Martyrio maturefcit, sic Confessor Christi passioni suæ præludit. Conquiruntur undique testes. Sed quid referant testes? narrat ille, hominem istum semper silere, aut loqui tantum sermones Dei; alius continuata per multos dies jejunia prædicat; alius intentam semper Deo mentem collaudat; alij, alias ejus virtutes commemorant. Nemo est, qui non jurejurando affirmer, videri sibi hominem istum, non innocentem modò, sed sanctum. Quæ cuncta, Pater Sanctissime, tantum, tamque Religiosum timorem omnibus injecerunt, ut non nisi trepidè ac reverenter ad Reum Judex accedat. Reus est, sed præfert majestatem judicaturi duodecim tribus Israel.

Istius Athletæ, aliorumque, qui nobis adhæserunt constantiam, Sanctitatis Vestræ litteris, die primâ Januarij datis, post divinum adjutorium acceptam referimus. Sed non unicus fuit illarum fructus; rem planè confecisse videbantur; plurimi ex ijs, qui lapsi fuerant, ad meliorem frugem, peractâ etiam publicâ pœnitentiâ, generosiores evaserunt. Regalistsæ nunc sibi proximè, loco cedendum esse dubitabant, Clerus & populus, erga Sanctam Sedem optimè affecti, negotio finem jam ferè impositum gaudebant: Patres Societatis Jesu, fortiores Regaliæ propugnatores, Sanctæ Sedi resistere cùm puderet, varijs artibus inobedientiam occultabant, præsertim falsitatem Apostolicis litteris affingentes. Illustrissimus ipse Archiepiscopus Tholosanus, tantâ erat perturbatione, ad fulminis imminentis fragorem concitatus, ut tam conscientiæ stimulis, quàm pertinacissimæ febris paroxysmis, dirius exagitaretur.

Verùm.

Verùm, Pater Sanctissime, diuturna Sanctitatis Vestrae patientia, quæ Reos ad perfectam conversionem adducere debuisset, nascens pœnitentiæ desiderium præfocavit. Reverendissimus Archiepiscopus, primùm quidem sparsâ de falsitate rescripti Apostolici famâ, deinde aulicorum Episcoporum defensione, tum litteris à sacra Congregatione ad ipsum scriptis confirmatus est; & Sanctitatem Vestram ulterius non progressuram confidens, nos, aliôsque Ecclesiæ obsequentes Clericos & laicos, sive per se, sive per Vicarium Generalem à se constitutum, usque ad exterminium persequitur. Si quis Ecclesiæ mandatis obtemperans, Confessarios quarit legitimè approbatos; in strictissima vincula detruditur, aut alijs gravissimis pœnis plectitur. Non alius criminis reus est vir quidam, (ut de reliquis taceam) jam pridem in tetro carcere Apamijs distentus, quàm quòd Parochum canonicè institutum, ad audiendam mulieris periculosissimè decumbentis Confessionem accersisset. A Parochijs fugant Vicarios omnes piè sanctèque viventes, gregique suo sedulò invigilantes, qui tenuitatis meæ, vel potiùs Sanctitatis Vestrae vocem audiunt, alienòsque sequi recusant: quòdque vehementissimi doloris sensum auget, substituuntur perditissimi homines, quorum aliqui publicè ebrij visuntur, alij verbis obscœnis fugientes castas virgines prosequuntur, & si comprehendere nequeunt, in blasphemias prorumpunt. Nec laudabiliores sunt Regalistarum mores; eorum unus cum soluta, cum conjugata alter, ita conversantur, ut toti Civitati maximo sint scandalo.

De Patribus Societatis Jesu, utinam! aut nulla mihi dicenda forent, aut bona! sed charitas, quæ operit multitudinem peccatorum, non refugit, imò festinat, de errantibus

bus

bus ovibus protinus admonere pastorem. Ignoscat illis DEUS, non quidem nescientibus, sed maximè omnium scientibus, quid faciunt; dum Sanctæ Sedi palàm illudunt. Post acceptas à Præposito Generali geminas litteras, quarum alterâ de ultimarum Sanctitatis Vestræ litterarum veritate certiores illos faciebat, publicè Regalistarum & aliorum quorumcùmque ad ipsos accedentium Confessiones excipere pergunt, quod à testibus fide dignissimis, ipso Sanctissimo Corporis Christi die, alijsque visum, & confirmatum est. Sperant scilicèt, ob regionum longinquitatem, & pertimescentibus omnibus, qui veritatis conscij sunt, ipsorum iram, & in aula Christianissimi Regis favorem, quæ illic notoria sunt, usque ad Sanctitatem Vestram non perventura. Toleranda fortassis videretur temeritas, si volentibus tantùm noceret, si solos Regalistas jam excommunicationis vinculis innexos, hujusmodi Confessarij solverent, aut verius arctius constringerent, seipsum eisdem vinculis innodantes: si cæci cæcostantùm in foveam traherent: sed quod omnem crudelitatem superat, in ruinam, vel invitæ trahuntur animæ. Rector Collegij nomine Espagnac, qui, ut accepi, de præstito Regalistas auxilio & consilio, innocens apud Sanctam Sedem videri voluit, ipsos ad celebranda publicè solemniterque divina officia, paucis post scriptas suas Apologeticas litteras diebus, hoc est in festo Sancti Xaverij, suam in Ecclesiam admisit, & ad Confessionem, sibi aut suis faciendam, non solum ultro venientes, etiamnum excipit, verùm refugientes militum metu adigit: quod, quàm sincera fuerit ejus excusatio, declarat.

Is est, Pater Sanctissime, deplorandus Ecclesiæ Apamiensis status; cui nisi citissimo præsidio, à Vestra Sanctitate.

tate succurratur, quâ possit ratione integram ruinam vitare, non video. Haftenus enim venturi à Sancta Sede auxilii spes labantes sustentabat: sed jam plerique Sanctitatis Vestrae longanimitatem, salutem non arbitantes, & insipientium errore traducti, excidunt à propria firmitate. Moveant, obsecro, Paterna Sanctitatis Vestrae viscera, non Beneficiorum, aut bonorum temporalium rapina, nec carceres, nec exilia, quæ patimur: (pretiosa Dei munera sunt ista) sed parvuli petentes panem, nec habentes qui frangat; sed oves, quas olim regebant pastores ad vitam præduces, nunc perdunt & maculant lupi voraces; sed fideles, qui aut Sacramentis carent, aut ea à Ministris accipere coguntur, quos Sanctitatis Vestrae litteræ, omni potestate destitutos declararunt. Qui Ecclesiae causam impugnant, non aliud, quod saltem justitiæ rationisque umbram præferat, ostendunt, quàm Sanctitatis Vestrae litteras, Rescripta, esse privata, consolationi nostræ indulta, non sententias judicarias, quibus necessario sit parendum. Ceterum, altum in tanta rerum perturbatione silentium, non leve indicium esse, Sanctitatem Vestram, earum rationum momentis, quas exhibent impressa nuper conventus Episcoporum acta, eo perductam, ut ea, quæ geruntur dissimulando, significet, se non iusta quidem, sed toleranda tamen judicare.

Intret ergo, Beatissime Pater, in conspectu Vestro, gemitus compeditorum: nec dicant inimici nostri, prævaluimus adversus eos. Exurgat, obsecro, Sanctitas Vestra, & judicet causam nostram: reddat vicinis nostris septuplum in sinu eorum, vindicet sanguinem animarum, qui effusus est, imò qui & in dies magis effunditur. Apprehendat arma & scutum, & exurgat in adjutorium nobis. Effun-

Ggg dae

dat frameam, & concludat adversus eos, qui persequuntur nos. & tradat hujusmodi, Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die D. N. I. C. Exurgat & iudicet suam. & Ecclesiæ causam; cujus certè si dubia esset nobis justitia, indubitata faceret, non solum merita venerabilis patris nostri Episcopi Apamiensis, acerrimi illius defensoris, sed etiam miracula (parcat mihi Sanctitas Vestra hoc verbum) quæ per Pastoralem illius annulum, quem semper mecum gesto, frequentissimè operatur Deus Optimus Maximus. Firmiorem habebimus propheticum Sanctitatis Vestræ sermonem; Christi Vicarij iudicium lapsos eriget, titubantes confirmabit, imò & ipsos adversarios, in tenebris & umbra mortis sedentes, illuminabit, & ad præveniendum supremi iudicis sententiam excitabit. Nec enim ita omnem extinxerunt Religionis sensum, uti non citius, saltem, dum de reddenda Deo ratione cogitabunt, æternam damnationem, cujus excommunicatio imago est, non pertimescant. Et si (quod avertat Deus) ipsi perituri sunt in iniquitate sua, Sanctitas Vestra liberabit animam suam, & ab Ea illorum sanguis non exquiretur.

Eos omnes, qui pro Ecclesiæ dignitate, pro fide & Religione in agone contendunt, meque ipsum, omnium peripsama, merumque abortivum, Sanctitatis Vestræ precibus suppliciter, & Religiosè commendo. Fiet enim, Beatissime Pater, Apostolicis meritis, ut qui servorum Christi tribulationes & angustias patimur, servorum quoque Christi vitam morèsq; consecremur. Datum die 14. Junij 1681.

Beatitudinis Vestræ Sanctissimos Pedes Deosculor

SANCTISSIME PATER,

*Humillimus & Obsequentissimus in Christo Filius
& famulus*

Joannes Cerle Presbyter. Canonicus,
&c Præcentor Ecclesiæ Cathedralis Apamiensis,
nec non Vicarius Generalis & Officialis.